

Vd  
1151



*Ch.*

A



Q. 4579.

Vd  
1151

In,  
Epistolam Regis Poloniae,  
Quam  
Ad Celsos & Præpotentes Belgii  
Foederati Ordines,  
De,  
**BELLO LIVONICO**  
Anno MDCCI, die IX, Septembr.  
scripserat,  
**ANIMADVERSIONES  
SUBITANEÆ.**





**C**ircumfertur Epistola quædam Regis Poloniæ ad Celsos & Præpotes Belgii fœderati Ordines scripta, quâ Sa. Ra. Majestas Sueciæ eo potissimum nomine traducitur, quod illatas sibi hæctenus injurias non æqui bonicq; faciat, neq; patientiam tam diu præstare velit, donec illa, quæ temerario ausu in se & Rempublicam Polonam suscepta sunt, à Rege Poloniæ patrentur perficianturq;, sed potius eam consiliorum viam insistat, quæ conata hæc disturbent, atq; ea quoq; perficiendi omnem ipsi facultatem in posterum eripiant. Ansam hujus criminationis cepit ex literis, quas ad Primatem Regni Poloniæ Sa. Ra. Majestas Sueciæ miserat; in quibus perniciosæ hæc machinationes sincerè deteguntur, atq; sine circuitione ejusmodi Consilia in mediũ proferuntur, quæ cum ad asserendam utriusq; regni securitatem, tum ad mutuam amicitiam conservandam, sola visâ fuerant idonea. Equidem ut nemini mirum esse potest, parum grata inimico Regi hæc accidisse; ita optandum quoq; foret, ipsum talem esse hostem, qui more apud gentes usitato, arma intulisset, neq; prædonum ritu, media in pace, Provincias Suecicas inopinatis & subdolis incurfionibus expilasset; qui etiã in reliquis eam fidem servasset ut postquam satis decertatum fuerit, pax atq; amicitia cum illo restaurari tutò posset. Nemo utiq; dubitaverit, quin tranquillitati Orbis Christiani dolorem suum lubenter Sa. Ra. Majestas Sueciæ condonasset, neq; ad asperiora remedia rationem inveniatur fidæ pacis cum illo habendæ, cujus inconstantiam tot documentis experta est; atq; adeo prævideat, se ab illius insidiis nunquam fore tutam, quamdiu aliqua nocendi facultas superfit: non existimat vitio sibi datum iri, saltem ab æquis rerum æstimatoribus, si contra insolitas artes non vulgari modo cautum securitati suæ esse cupiat. Notum enim est, atq; toto Orbe divulgatum, quam inhumano prorsus more in hoc bellum progressus sit Rex Pol. Qui cognatum Regem, quem sua ætas & innocentia & propinquitas sanguinis ei commendabant, ab aliorum injuriis potius defenderet; idem adolescentiæ ejus insidiatus, illicitis dolis circumventum panè oppreserat. Ut avitum ejus regnum discerperet, aut funditus everteret, non nevas habebatur, occulta cum aliis consilia inire, Provincias alias sibi, alias illis occupandas assignare, proditorum & infamium operâ uti, Civesq; ad defectionem sollicitare. Quæ cum ab ini.

initio clanculum agitentur, sustinuit etiam Suecis, ut eòs ab insidiarum metu  
 tantò magis averteret, arctius amicitiaæ fœdus offerre. Cum in hoc adornando  
 utriusq; Principis Ministri Varavia & Dresdæ occuparentur, copia Saxonica  
 in Livoniam subito sunt immisæ, ut Rigam per insidias occuparent. Inde li-  
 cet cum ignominia rejecta; provinciæ tamen latè depopulantur, & munimen-  
 ta præfidiis justis non instructa, interceptiunt: Atq; hæc, in media Pace, perpetra-  
 ta sunt, cum amica omnia simularentur, & priusquam ulla offensæ causa indi-  
 cata esset. Cum à Ducibus Saxonis causam hujus incursionis & cujus jus-  
 su hæc acta essent, quæreret supremus Livoniæ Præfectus, isti illudentes, loco re-  
 sponsi ineptas quasdam fabulas reposuerunt. Adeo impotenter & superbè Sæ.  
 Ræ. Majestati Sueciæ ubiq; insultatum est, quasi digna non esset, cui jura genti-  
 um servarentur; sed quam ludibrio habere & contemnere impune possent.  
 Quæ vero postea acta sint; quod seditiosis literis Livonorum fides tentata; quot  
 calumniis Sueci fictisq; criminationibus lacerati; quibus consiliis Poloni impli-  
 cati; quibus Artibus Moscæ, dubius adhuc & nutans, in belli hujus Societa-  
 tem impulsus; quibus vafrementis Sueci appetiti, ut iterum in insidias allicerentur;  
 longum est hic enarrare. Certè ab eo die quasi juratus in exitium Sueco-  
 rum, hostes toto Orbe in illos excitare atq; ipsum Acherontem commovere  
 summis studiis annixus est. Quæ cum fusius alibi exposita inveniantur, teti-  
 gisse hic sufficit, ut constet, justissimam Sæ. Ræ. Majestati causam esse, quare  
 tot atroces injurias, illusiones & intolerabilem sui contemtum non gratis devo-  
 rare debeat, nec fidem ei babere queat, qui tot indignis modis eam polluerat.  
 Sed hæc planiora fient, si epistolam ipsam oculis subjiciamus: quam si eadem  
 libertate, qua scripta est, hic paulisper excutiamus, non est, quare magnoperè  
 quisquam mirari possit. Commodissimè autem hoc fiet, si verba ipsius Epistolæ  
 proferantur, & responsum juxta ponatur. Sic ubi fucus lateat, facile appare-  
 bit.

*Celsæ ac Præpotentes Domini, Ami-  
 ci nostri Carissimi. Celsitudines Væ la-  
 tere non volumus, Nos contra Regem Sue-  
 ciæ eo animo & ea intentione arma su-  
 scepisse, ut tam in favorem Regis Dania,  
 vi initi fœderis, vires Suecicas per diver-  
 sionem distraheremus, quam patratas  
 contra Sanctam Pacem Olivensem inju-  
 rias vindicarem.*

Tunc enim præsidium Rigense, quod ad defensionem

Duas in hac Epistola invasioni  
 suæ causas prætextit; Unam, ut vi fœde-  
 ris cum Rege Daniae initi, Suecorum vi-  
 res distraheret; alteram, ut injurias cor-  
 tra pacem Olivensem patratas vindic-  
 caret. Licet hic primum observare  
 mutantem Protea vultus, & tot for-  
 mas, quot vult, asumentem. Alios  
 ab initio prætextus attulit; alios pro-  
 gressu temporis, cum ad irritum cecidisse incepta sua cerneret: neutros planos  
 unquam facere potuit.

se adversus copias ejus, in Livoniam irruentes, componeret, huic bello occasi-  
onem dedisse, per Ministros suos in aulis Europæis constanter affirmavit. Idem  
Duces istius Exercitus, suis diplomatis, Janisæ d. IX. Febr. MDCC. scriptis, di-  
vulgarunt. Idem ipse Rex in libello criminoso, quò necessitatem hujus belli  
postea manifestare voluit, ingeminavit. Quare de hac causa, quæ ei tunc pal-  
maria erat, jam reticuit? In promptu ratio est. Cum Livoniam sibi vindicare  
statuisset, non opus erat dicere, illam Reipublicæ Polonæ causa à se occupari,  
quæ sibi privatum bellum gerenti in præmium armorum cederet: postquam  
verò insidiæ, quas urbi Rigenfi struxerat, irritæ fuissent, non è re visum est, huic  
commento mordicus inhærere. Tunc enim alio prætextu opus erat, ut Sere-  
nissimam Rempubl. Polonam in societatem belli traheret. Tum quoq; tot sibi-  
lis ubiq; explosam fuisse hanc fabulam comperit, ut stultum foret, iterum ean-  
dem in scenam inducere. Itaq; cum gratiam istius criminis Suecis faciat; ille  
tantum causæ, quas Epistola hæc expressit, expendantur: quarum prior est fœ-  
dus cum Rege Daniæ percussum. Quam pium illud fœdus fuisset, non vacat hic  
examinare: hoc tantummodo scire libet, quæ necessitas ei tunc erat imposta  
Svecorum vires distringendi, cum illi bellum, cum Rege Daniæ non haberent?  
Controversia Holsatica agitabatur, quam componere Principes Orbis Christia-  
ni summo studio quærebant. Quieverunt interea Sueci: Serenissimus quoq;  
Rex Daniæ, ad quem ista controversia maxime spectabat, tam diu ab armis ab-  
stinebat, quoad Saxones in Livoniam non irruerant. *Arg, ita cum nusquam  
bellum esset, quid opus diversionem facere?* Si fœderato auxilium tantum ferret,  
quare ipse, qui secundarias partes in hoc bello habere voluit, bellum prior in-  
choavit, quiescente illo, qui auxilium stipulatus est? Qui enim sociorum no-  
men gerunt, eum, qui principes partes agit, sequi, non antevertere solent.  
Sed & Pacificatoris Persona, quam in controversia hac sustinuit, debebat i-  
psum monere, ne prior arma corripere. Nihilominus si necessarium hoc  
censuisset bellum, quare Suecos potius aggressus est, quam Britannos, quam  
Batavos, qui easdem partes in negotio Holsatico sibi sumebant? Sponfi-  
onem illi simul susceperant Pacti Altenoensis, & ad illud defendendum,  
æque ac Sueci operam suam contulerunt. Neutri autem in animum indu-  
xerant, ut Danis propterea bellum facerent, sed ut ad pacta observanda, &  
controversiam hanc tollendam, illos promoverent: quod etiam ab illis, quem-  
admodum eventus docuit, obtinuerunt. Injustissimus igitur hic prætextus est:  
nec tam subdolum in Livoniam irruptionem excusat, quam prurium in se-  
rendis bellis detegit. Alteram hujus belli causam facit violationem Pacis  
Olivenfis, quam vindicare se debuisse dicit. Licet hic primum interrogare,  
à quibus demandatum hoc negocium habuit? à Republica Polona? atqui in  
hunc

hunc usq̄ diem nullam hæc querelam protulerat, quâ læsam Olivensem Pacem argueret: contra constantissimè hæctenus testata est, se nullas in hoc bello, quod inscientibus ipsis susceptum, partes sumere, sed cupere, ut antea, pacem cum Suecis illibatam conservare. Quomodo igitur effari potest, se injurias, quæ nullæ sunt, vindicatum ire? Deinde tratatitium est, & notum omnibus, nullum belli jus in Republicâ Polonâ Regi competere: quod cum insciâ eâdem & invitâ, nihilominus suscepisset, leges Reipublicæ fundamentales ab eo convulsas esse, liquido patet. Ita geminato se crimine obstrinxit, cum arrogato sibi belli arbitrio, pacta conventa, quæ servaturum se juraverat, infringeret; & Suecos Reipublicæ amicos & innoxios, perfide simul aggrederetur. Ausus quidem est criminationes quasdam, postquam bellum incepisset, typis divulgare: sed eas, opposito responso, toti Orbi Sueci demonstrârunt, meras esse calumnias, eo fine à Rege hoc excogitatas, ut Rempubicam Poloniam sui periculi succedaneam faceret, quo fessâ postmodum & exhaustâ ultimum spiritum interciperet. Tum verò Sanctam Pacem Olivensem, cujus hic meminit, quare ipse tam audacter violavit? Dicitur illa expressis verbis, Art. 37. §. 2. 3. si lis aliqua inter Regna Sueciæ & Poloniæ oriatur, non ideo licere læso ad arma recurrere, sed amicam ejus componendæ rationem ineundam esse: indicandam injuriam, monendos de ea paciscentes, satisfactionem petendam: hoc observato ordine, si læsus in reparando damno tergiversetur, tum demum, factâ prius legitimâ belli denunciatione jus armis prosequendum. An horum quidquam observavit Rex Poloniæ, qui Pacem hæc à Suecis violatam tradidit? Ipse igitur istius Pacis, quæ inconcussa hæctenus stetit, turbator atq̄ ruptor est; cujus temeritas, juxta easdem Pacis Leges, cum Polonorum, tum omnium Paciscentium viribus dudum castigari debuerat. Quapropter nemo erit, qui non liquidissime hinc intelligat, nullâ justâ causâ, sed sola libidine proritatum, Regem Poloniæ in hæc arenam descendisse, & quidquid huic bello prætexat, excusandis ejus injuriis adeo non sufficere, ut omnium potiùs oditum ac detestationem mereatur.

*Et quamvis Victoriæ nostræ arma  
ulterius proferre, operatosq; nobis exim-  
de polliceri potuissimus successus:* ) Ne præclaræ hæc Victoriæ ignorantur, juvat eas in compendium hic redigere, donec iis justo volumine explicandis par aliquod ingenium existat. Liceat tamen hic dissimulare Pannonicam Cladem, cum Ductu Suo Elector Saxonix exercitum Cæsareanum perderet: quæ suis auspiciis gesserit, exponantur. Primum igitur trophæum Lithuania vidit, quæ copiis Saxonis direpta, turbisq̄ internecinis à Rege ipso implicata, æternam, ut creditur, istius expeditionis memoriam conservabit. Alter Triumphus actus est de Curlandiâ, quæ pari solertiâ, correpta est.

Qua-

Quare publica etiam devotione istis in regionibus Saxonicum nomen colitur. Et has quidem palmas de Civibus retulit, à quibus vexationes injuriasq̄ ar- cere debuisset; externæ autem militiæ grandior surgit moles. Nam cum so- litudinem domi vastitatemq̄ fecisset, populabundam manum in fines Sueco- rum misit, eo videlicet tempore, quo pace confidentes & simulato amicitiaæ fœdere deceptos, exercitum procul habuisse illos noverat. Quo ei facilius erat, patentes agros incurfare, & duo Castella opprimere. Nam à mœnibus Rigæ, quam præcipue petebat, fortiter depulsa est. Hæc cum Holmiam, nunciata essent, legiones Finnicæ oppressis suppetias ire jusæ, primo adven- tu suo ita latrones hosce terruerunt, ut relicta prædâ, locisq̄ opportunis, quæ muniverant, desertis, trans Dunam refugerent. Hæc primo vere gesta sunt. Sequenti ætate, cum Sacram Regiam Majestatem Sueciæ comperisset in Se- landiam exercitum traduxisse, tanta jam anxio & trepidanti redit in præcordia virtus, ut collectis majoribus copiis ipse Dunam trajiceret, exigua Suecorum manu infeslam & haud procul Rigâ castra metaretur. Quam cum obside- re destinaret, fama Pacis Travendalensis ita animum ejus perculit, ut relictis operibus, quæ extruxerat, magno pavore in Poloniam se reciperet, ruinoso tantum castello, quod ad Dunam situm est, prius occupato. Hic armorum ejus ambitus est, qui quot gradus tot opprobria habet: de quo tamen glorio- si instar militis, jactare se non veretur. Certe erubesceret ea victricia appel- lare arma, quæ ut ignavis turpibusq̄ dolis aliquem progressum in initio debu- erunt; ita fœdum exitum sortita esse universus novit orbis: cum paucarum horarum spaciò exercitus Saxonicus, tot castris, tot munimentis, tanto appa- ratu bellico exutus, tota Curlandia expelleretur.

*Id tamen instantiæ Mediatorum dedi- mus, ut Paci amicitiaq̄, pristina cum Rege Sueciæ restituenda, præterlapso jam anno, promptissimos nos declaraverimus, cumq̄, in finem à devastatione Urbis Rigæ, per injecti- onem ignis, quorsum jam omnia parata erant, aliisq̄, hostilitatibus cessare, ad pro- movendam reconciliationem, evitandamq̄, majorem animorum exacerbationem, opera- tiones bellicas defensivè saltem persecuti fu- erimus, adeoque sedulam ubiq̄, Paci reducen- da adhibuerimus operam.*

re potuit? quæ vero ratio eum subegit, ut ita loqueretur? Imo, ut in Suecos, quasi a Pace abhorrentes, omnem invidiam converteret, & sponsores Fœderis Olivensis obligatione illa, quâ

Quis magna animi mode- ratione bellatorem hunc fuisse neget, qui in ipso victoriarum cursu, si Diis placet, pacem cum Suecis restaurare cupiverat. Sed id tamen instantiæ Mediatorum dederat. Quinam autem illi fu- erunt? Cum nulli unquam Me- diatores nominati aut accepti essent; quomodo ad illorum in- stantiam pacis condiciones offer- re potuit? quæ vero ratio eum

eum,



tur.  
ar.  
fo.  
eco.  
itia  
lius  
bus  
m.  
en-  
quæ  
ant.  
Se-  
rdia  
um  
ide-  
Etis  
oso  
um  
rio-  
pel-  
bu-  
um  
pa-  
de-  
isfe  
um  
um  
Sed  
um  
fu-  
Me-  
epti  
in-  
ffer-  
um  
nem  
quâ  
um,  
eum, aggressorem turbatoremq; istius fœderis, persequi debebant, solutos esse  
persvaderet. Si Pacis desiderium, aliquando præ se ferret, cognitum est, me-  
tu armorum Suecicorum eam mentem induisse: quamprimum is cessavit,  
à pacifici animi studio longissime abfuisse. Quod adeo certum explora-  
tumq; illis erat, qui apud ipsum degebant, ut testari hoc ubiq; non dubitave-  
rint. Neque enim difficile erat divinare, vapido sub pectore tegi Vulpem, cum  
verbis pacem creparet, re verò ipsâ illam impediret. Nam quæ exterorum  
Principum Legatis aliquando proposuerat, alio die immutata & à prioribus  
prorsus aliena inventa sunt: ad hæc quæ de satisfactione dixerat, tam absurda  
fuisse atq; ignominiosa, ut facile apparet, ludos agi, & tempus tantum quæ-  
ri nec tendis novis dolis. Quare nugamenta ista neque tutò, neq; honestè,  
Sa. Ra. Majestas Sueciæ admittere potuit: quæ etiam credebat, se meliori jure  
Regem Gallix, cæterosq; Sponsores, monere posse, ut, juxta tabulas Pacis Oli-  
vensis, aggressorem junctis viribus ad æquam honestamq; Pacem adigerent:  
Cum jam non de avertendo bello, ne inciperet, sed de fœdifrago, qui hostem  
se jam diu geserat, coercendo ageretur. At vero, qui Suecos tantis injuriis  
oneraverat, si paci, ut hic traditur, restaurandæ promptissimum se declaresset,  
an laudem propterea mereatur? an vero Sueci reprehensionem, quod pari pro-  
pensione Pacem admittere noluerint? Scilicet, tam abjectæ sortis Sueci sunt,  
ut à Rege Poloniæ impune lacesse & vexari, atq; illudi tam diu possint, quam  
diu satis ipsi visum fuerit: Cum verò lasatâ lubricidine, amicitiam rursus obtule-  
rit, vituperari etiam debeant, nisi pronis animis tantam benignitatē suspiciant  
atq; exosculentur? Quis æquitatem in illo laudet, qui postquam damnum atq;  
contumeliam mihi gravissimam intulerat, hac conditione mecum in gratiam  
redire cupit, ut finem ille injuriarum faciat, si ego injurias hæctenus illatas æqui  
boniq; consulam? aut quis justam latronum orationem pronunciet, si superve-  
nienti Domino, cujus ædes expilaverant, clament se amicos ei posthac victuros,  
si cum integra præda illis abire permiserit? Talem procul dubio pacem Rex Po-  
loniæ optasset, quæ non modo inulta pateretur, quæcumq; ab eo hæctenus pa-  
trata sunt, sed etiam januam aperiret, quancumq; commodum videretur, ad  
eundem ludum iterandum. Sed neq; subitus discessus, quo mœnia Rigæ de-  
seruit Rex Poloniæ, ullam Pacis cupiditatem arguit. Obsidere urbem potuit,  
non oppugnare, partim inopiâ pulveris tormentarii impeditus, partim famâ ad-  
venientis Regis Sueciæ consternatus. Noverunt, qui tunc aderant, quanta  
trepidatio totis castris erat, quanto ipse metu perculsus, tormentâ bellica pro-  
perè a moveri jussit, cum de Pace Travendalensi primum, mox etiam de conspe-  
ctis navibus, qui militem Suecicum vehebant, rumor vulgaretur. Ad hæc illo  
jam præsidio Rigam inveniebat firmatam, ut minas suas non tantum impune  
pos-

posset spernere, sed & obsessoribus non minora, quam illi Rigæ inferre detrimenta. Quamquam quâ est calliditate, tunc obtendere placuit, Batavis id se beneficii dedisse, ne injectis ignibus, merces simul eorum perderet. Cui deniq; persuadebit, se amore Pacis ab omni hostili actu postea abstinuisse & propulsando tantum bello fuisse intentum? Certe tot excursions, quas in agrum Suecicum miles ejus fecerat, aliud docent. Tot quoq; adhortationes, cum alibi, tum in nuperis comitiis ad Rempublicam Polonam, ut a vulsa recuperaret; tot munimenta passim excitata; tantum rei bellicæ congestum penu; Castella quæ Suecis eripuerat, firmissimis præsiidiis infessa; tot machinationes; fœdus deniq; arctissimum cum Czaro percussum; & viginti millia Moscorum in auxilium accita, satis evincunt aliam ipsi mentem fuisse, nisi invicta Sæ. Ræ. Majestatis Virtus immanes istos conatus, juvante Deo, fortiter repressisset. Ex his igitur, quæ dicta sunt, manifestum est, cum Mediatores nulli fuissent, quorum operâ Pax coire potuisset; neq; conditiones æquas unquam obtulisset Rex Poloniæ, neq; signum ullum pacifici animi dedisset: sincerum reconciliatio- nis studium in illo nunquam fuisse, sed omnia insidiosa & simulata, ut Suecos pariter & eorum socios falleret, & illos quidem ab insidiarum metu avocaret, hos verò à ferenda ope, quam ex pactis deberi novit, retineret.

*Qua vero è contrario Rex Sueciæ animo volverit, & quam longè ejusdem intentio ab aqua ineunda Pace remota sit, exinde manifestum est, quod non solum omnium exterorum Principum Legatis, more hætenus plane inusitato, adi- tum & audientiam denegavit, & hoc ipso istorum vilipendium testatus sit.*

Quemadmodum igitur ab insidi- is istis, quas tendebat Rex Poloniæ, ca- vere sibi Sa. Ra. Majestas Sueciæ debu- it: ita ab æqua pace nunquam aliena fuit, sed cujus obtinendæ nullam spem videbat, quoad isti ad nocendum vires suppetebant. Frustra autem contra- rium inde arguitur, quod exterorum Principum Legatos in castris & acie secum versari è re non putarit Sa. Ra. Ma- jestas Sueciæ. Cum exercitu enim in Livoniam trajectura publicè declaravit, & sibi & illis incommodum esse, ut in remotas illas oras, & jam maximam par- tem ab hoste vastatas, abirent; Constitutum esse Holmiæ Concilium, auctori- tate juxta instructum, de omnibus negociis cum illis tractandi. Itaq; uti hoc compendio poterant, si quid de Pace monere voluissent: nec opus erat in ea, quæ functioni eorum plane inepta erant, loca divertere. Quamquam super hæc antea illis constabat, omnes alicujus momenti res, quæ pacem & fœdera tangant, ad hoc Concilium remitti solere. Tum quâ fronte traditur, Legatos viles esse habitos à Sa. Ra. Majestate Sueciæ, quæ quamdiu in hybernis dege- bat, eos ad se excurrentes lubenter audivit? Cum verò ad persequendos hostes exercitum duceret, non vacasse tunc interpellationibus eorum, quò tempore in-

instans discrimen omnes occupabat curas, nemo paulò æquior mirabitur. Nec more inusitato hoc contingere, se noverunt alii, qui jus gentium paulò rectius interpretantur, ac observant quam hætenus Rex Poloniæ. Quam enim rationem adferet quare non licuisset Sæ. Ræ. Majestati Sueciæ uti hic arbitrio suo, locumq; & Ministros, quos vellet, negotiis suis expediendis designare? Aut quis Patronum in hac causa eum constituit? Certe non constat Principes illos, qui Legatos miserant, unquam ei accusationem hanc demandasse. Quibus à Rege Poloniæ tantum concedi æquum erat, ut si quidquam, quod à consuetudine ac æquitate alienum esset, Legatis eorum evenisset, ipsi possent de hoc facto expostulare. Cum vero iniquum obtrectatoris iudicium nemo eorum secutus sit, patet, neq; existimasse illos, à moribus cultiorum gentium discrepare, si Princeps ad quem Legati missi sunt justas ob causas petat, ut invito & aliis negociis implicito comites isti se non adjungant. Quapropter iniqua & calumniosa criminatio est, aut à Pacis negotio propterea abhorruisse Sm. Rm. Majestatem Sueciæ, aut vili pendisse exterorum Principum Legatos, quod illos in ipsum discrimen secum non duxisset.

*Sed & alia inhonesta summisq;*

*Principibus indecentia excogitaverit illa media, adeoq; ut postquam à Cancellariis Sueciis totus fere Orbis libellis famosis, quos hætenus contemptu vindicandos esse duximus, repletus sit, eò quoq; processerit, ut literis hisce in copia junctis ad Cardinalem, regni nostri Primatem, transmissis, suaq; manu signatis, cum latis ei fini falsissimis imputationibus, seditiones in regno nostro contra Nos excitare non erubuerit.*

Comitiis recitare, ut Polonos in Suecorum odium excitaret; deniq; typis divulgare, in quem propudiosa commenta, fraudes, ineptias, ac in Reges gentemq; Suecicam teterrima convicia constipaverat: coacti sunt Sueci ad ea respondere, & causam famamq; suam contra impudentissimas malevolentissimasq; obtrectationes vindicare. Versantur illa scripta in omnium manibus: & præ ejus ferociâ, qui provocaverat, nihil acerbi & immoderati habere inveniuntur. Tam solidis rationibus vafra istius Regis criminationes refellunt tam dilucidè & perspicue ante omnium oculos acta ejus exponunt, ut nemo sit, qui non Suecorum inde innocentiam percipiat, & istius simul portentosam, in fingendo libidinem aversetur. Quare famosorum libellorum nomine, aliter non possunt venire, nisi quatenus infames aggressoris actiones complectantur. Quæ cum contentu se dicat vindicare, nã eò ipso ostendit, famæ sibi cura

B

rama

ram esse exiguam: cum tamen si ulla sui misericordia tangeretur, doleret potius, justis hominum judiciis se tam malè audire, nec meliori notâ memoriam sui posteris commendasse. Ex his igitur Orbis cognoscet, si unquam quidquam factum sit, quod summos Principes non deceat, in illo id ipsum reperiri.

Quod ad literas, quæ ad Primatem regni misæ sunt, attinet, nihil illis continetur, quod non verum sit, ac omnibus notum. Quis nescit subdola incur- sione vastatam esse Livoniam: intercepta munimenta; sollicitatos ad seditionem incolas; proditores receptos, & hostes undiquaq; Suecis quæsitos? Quis etiam ignorat Regem Poloniæ violasse juramentum & pacta conventa, cum bellum, inconsultâ republicâ, inchoaret; peregrinis copiis Poloniam & Lithua- niam miserimè evisceraret; dissidia nociva inter illustres domos sereret; Mo- scis transitum per Reipublicam solum concederet; Curlandiam, Reipublicæ Pro- vin. iam, seductis incolis, sedem belli constitueret; & omnia consilia ad liberta- tem Polonorum opprimendam dirigeret? Quæ omnia tam manifesta sunt, ut si negare audeat, totus Orbis contra eum testimonium dicturus sit. Nihil igitur falsi Regi Poloniæ in istis literis imputatur, quibus candidè, & sine fuce, su- um dolorem & Reipublicæ discrimen Sa. Ra. Majestas indicare voluit, non ut seditiones inter Polonos excitaret, sed ut seditiosum illud caput, quod tantorum malorum causa est, tolleretur; cum convenientius meliusq; remedium non re- periretur, si pax & quies inter utramq; gentem stabienda esset, & libertas Rei- publicæ Poloniæ, quam pro summa necessitudine salvam esse cupit, ultimo pe- riculo eripienda.

*Nec dubitandum est, ea, quæ, ratione absoluti alicujus à Nobis prætensi domi- nii, contra nos à Rege Sueciæ finguntur, è dogmatibus sui Parentis, Antecesso- rumq; præceptis ortum traxisse quorum tyrannica principia, non adeò longo ab- sine tempore in istis regionibus executi- oni mandata, omnibus adhuc memoria infixæ barent.*

Cum autem Sæ. Ræ. Majestatis Sueciæ personam sibi oppugnandam sumeret, quæ rabies illum in manes gloriosissimorum Regum, Antecesso- rum illius, egit? Quod si quis illam do- mum, unde oriundus Rex Poloniæ, scrutari vellet, forte objici possent, quæ gentilitia esse in se ipse agnosce- ret: sed ut in multis innocens illa fue- rit; ei tamen opprobrio erit, inter posteros istum habere, qui, quicquid in illa, laudandum, desereret; eorum autem, qui culpari possent, ex asse hæres sit. Meruerant autem Reges Sueciæ rebus domi forisq; præclare gestis, ut memoria eorum Civibus cara, apud externos in perpetua veneratione haberetur: nec fas esset istius Regis ore inquietari, cujus tota vita nihil habet, quod cum laudatis- simis eorum virtutibus conveniat. Qui cum ea potestate uterentur, quæ legi- bus Regni, & consensu omnium Civium delata est, tyrannidis non magis insi- mulari possunt, quam aliarum gentium Reges, quibus & olim & hodie, sum- mum Imperium Cives sui permiserunt. Quis negabit liberum fuisse civitati- bus,

bus, formam imperii, quam vellent, constituere? at constitutam contra earundem voluntatem tollere, id demum tyrannicum est. Longè regni Suecici indoles à Republica Polona diffidet; cum illud Reges hæreditarias liberamq; potestatem habentes admittat: hæc verò divisum cum Rege suo habeat Imperium, qui precario regnat, nec, illà inconsultà, majoris quidquam momenti suscipere debet. Itaq; in hunc tyranni nomen paulò melius quadrabit, qui alienigena & extraneus Majestatem Reipublicæ, cujus legibus tenetur, obterere, juraq; populi, qui rectorem sibi illum adsciverat, ad se trahere, toties violato jure jurando tentaverat.

*Cum è contrario Nos, etiamsi optima forte occasione deducendi talia ad effectum exoptatum baud destituti, fuerimus; nihilominus exponendo propriam salutem nostrasq; fortunas, perennem Reipublica felicitatem indefessè, questiverimus, libertatisq; subinde vigorem modis omnibus foverimus, quorsum, si opus foret, facta & actiones nostras in testimonium vocare, & reliqua Regis Suecici signenta leviter spernere possemus.*

rit excidisse iniquas exactiones, quibus Regiones integræ exhaustæ sunt: oppressam Reipublicæ auctoritatem peregrino milite: perniciosà consilia cum aulicis quibusdam & proditoribus capta? An latere eos crediderit fomitem dissidiorum, quibus Lithuania ardet, ab eo subditum esse? Et deniq; quò hæc omnia tendunt? Unde, quæsumus, tot imprecationes, tot quærelæ, tot motus gementis sub hac oppressione populi? Unde, cum ad ista obfufdesceret, tot Comitiorum decreta, ut vastator miles, & ministri Saxonici, & reliqua instrumenta servitutis regno expellerentur? Hæc nisi recenti memoriâ gesta essent, nisi quoq; in omnium oculos incurrerent, potuisset forte dissimulare: jam verò majoris aliquanto audacix est, ea jactare, quæ noverit omnium irrisionem provocatura esse. Parcius igitur, si saperet, actiones suas in testimonium vocaret: quas ut alto silentio premi, ipsi consultum foret, ita omnium cognitioni nudari eas Sæ. Ræ. Majest. Sueciæ interest, quam nihil hic finxisse liquet.

*Nisi eouq; impudentia progressus fuisset, ut quod apud barbaras gentes turpe & inonestum, apud Christianos vero Principes inauditum est, decurbationem nostra Persona de solio sollicitare, bonumq; contra Nos premium constituere non abstinerit.*

Sed fictum hoc crimen esse dicit. Cum potuisset dominationem obtinere, amicior libertati Reipublicæ fuit, cujus vigorem omnibus modis fovere quæfiverat. Quis credidisset tantam in Rege Poloniæ suisfe modestiam, ut hoc fortunæ incrementum fastidiret, quod alius cuperet ardentissimè. Certe Polonis suis ægre hoc persuaserit, qui ita concionantem sine risu vix audirent. An memoriâ eorum putaverit excidisse iniquas exactiones, quibus Regiones integræ exhaustæ sunt: oppressam Reipublicæ auctoritatem peregrino milite: perniciosà consilia cum aulicis quibusdam & proditoribus capta? An latere eos crediderit fomitem dissidiorum, quibus Lithuania ardet, ab eo subditum esse? Et deniq; quò hæc omnia tendunt? Unde, quæsumus, tot imprecationes, tot quærelæ, tot motus gementis sub hac oppressione populi? Unde, cum ad ista obfufdesceret, tot Comitiorum decreta, ut vastator miles, & ministri Saxonici, & reliqua instrumenta servitutis regno expellerentur? Hæc nisi recenti memoriâ gesta essent, nisi quoq; in omnium oculos incurrerent, potuisset forte dissimulare: jam verò majoris aliquanto audacix est, ea jactare, quæ noverit omnium irrisionem provocatura esse. Parcius igitur, si saperet, actiones suas in testimonium vocaret: quas ut alto silentio premi, ipsi consultum foret, ita omnium cognitioni nudari eas Sæ. Ræ. Majest. Sueciæ interest, quam nihil hic finxisse liquet.

Cum igitur, ut demonstratum est, tot immanis perfidiq; animi documenta, cum adversus Sacram Regiam Majest. Sueciæ, tum adversus Rempubliacam Polonam dedisset illæ, ut nulla amplius fides ei haberi posset, cui mirum videbitur, desperato morbo acriorem

orem medicinam quæri? Aut ostendat alius mitiorem modum, quò ille abole-  
retur. Si dicat aliquis, malum hoc ex parte sublatum esse, cum copia Saxoni-  
cæ Poloniâ excesserint: An idem affirmare sustinet, easdem non redituras esse?  
Fallitur generosa Polonorum Gens si feras bestias illas esse cogitet. Quam-  
vis excucurrerint, revertendi tamen animum non deposuerunt. Quo invitius  
has copias Rex dimisit, eo cupidius celeriusq; eas revocabit, quam primum me-  
tus paululum confederit; an in perpetuum illis carere poterit, quibus unice fre-  
tus, destinata sua exsequi & potest & audet. Atqui Respublica prohibebit, ne  
illud unquam iter remetiantur. Utinam ea semper animorum hic conjunctio  
esset, ut in commune consuleretur! Satis esset fortissimæ huic Reipublicæ viri-  
um ad conata Regis sui coercenda, nemo diffideret: at cum experientia docet,  
mille artes callere Regem inescandi cupiditatem levium quorundam & disolu-  
torum Civium; inanem hanc spem esse liquidò patet. Non opus hic conjectu-  
ris; ipsa res loquitur. Cum exercitu suo antea Poloniam inundaret, quis resti-  
tit? Cum cædibus & rapinis totum regnum vastaret: cum ea faceret, quæ vix  
infestissimus hostis posset: cum vicinis bellum inferret; quis per triennium  
grasfantem, inq; viscera regni sævientem, prohibere potuit, aut sustinuit? Au-  
diti sunt incolæ Cælum ipsum lamentationibus lacerare: quærelæ ad Aulam,  
ad Senatum delatæ: coitiones factæ: ingens ubiq; tumultus, clamores, commi-  
nationes, Comitia convocata & in illis decreta & constitutiones fancitæ, de po-  
pulatoribus exturbandis. Num hisce commovebatur Rex? Novit, quibus ar-  
tibus uteretur. Sicut tinnitu & exiguo pulveris jactu apum iræ sedantur; ita  
pellacibus promissis & versutiloquâ benignitate, mirifice adeo calluit quorun-  
dam animos delinire, eamq; nubem oculis objicere, ut ruentis in præcep-  
s Reipublicæ discrimen non viderent. Quod suppressione nocturna laborantibus  
accidere solet, idem inclytæ huic Reipublicæ evenit; Pondere incubante se pre-  
mi sensit: sed integris licet viribus, illud excutere non poterat, antequam ab ali-  
is excitaretur. Interea usque ad ossa lacerata est, nec laniatis membris an-  
guem inhærentem potuit amovere, antequam clava sua hydram istam contu-  
dit Borealis Hercules. Non ad invidiam Polonorum hæc adferuntur: at-  
amen iidem fateantur, necesse est, à Republica vix potuisse hanc sentinam ex-  
hauriri; sed otium ac libertatem, quâ tantisper fruitur, victricibus Regis Sue-  
ciæ armis deberi. Quò minus succensere debent, si nihil præsidii in illis ponat  
Sacra Regia Majestas Sueciæ, quam diu ipsa radix morbi resideat. Nam cum sit  
idem apparatus, eadem artes, iidem homines, eadem quoq; via pateat, quæ an-  
tea, Poloni pro sua prudentia judicabunt, num difficile fuerit regi, eandem sce-  
nam restaurare. Intendant animum ad ea, quæ molitur. Copias dimisisse credi-  
tur: quantum virium sub nomine cohortis Prætorianæ latet? In quam non nisi  
ordinum ductores adscivit, ut haberet, qui novis copiis conducendis præsentent.

Quot

Quot putant in Prussia alibiq; latere, qui, quocunq; nomine jam colligantur, sacramento Regis mox adigendi sunt. Quam facile igitur poterit, & Republicam iterum obruere, & fines Sueciæ lacesere? Quamobrem cum ex tot astutissimis machinationibus consiliisq; prævideret Sa. Ra. Majestas Sueciæ, quæ mala propediem resurrectione fuerint, & sibi & inclytæ Reipublicæ in perpetuum cavere voluit, ne recidivam paterentur. Nec inhonestum, ut vociferatur ille, quisquam judicaverit, se adversus ejusmodi insidias munire: Contra jure naturali permixtum esse, imo ipsi naturæ insitum & ingeneratum, nemo negaverit, ut salutem quisq; suam tueatur, & imminens malum, quod ei absq; ulla causa improbitas alterius intentat, quocunq; modo depellat. Aut quomodo jam non honestum censebitur, à Republica Polona posci, ut improbum illum Principem, sub larva Regis, sibi & vicinis insidiantem. removeat; cum turpe & inhonestum idem Rex non putasset, Livonos Sa. Ra. Majestatis Cives ad defectionem sollicitare? Non veritus ille est, pollicitationibus, dolis, literisq; calumniosis quaquaversum sparsis, eorum fidem tentare, ut à legitimo Rege suo deficerent: Sa. Ra. Majestas Sueciæ à Primatè Regni, cui juxta leges competit videre, ne quid Respublica detrimenti capiat, atq; ab omnibus Poloniæ Ordinibus petit, ut communem hostem & insidiatorem, qui tot injuriis utrumq; regnum affecerat, potestate illâ, quâ abusus est, & porro abuteretur, deturbent. Quare exemplum suum damnat? & quod ipse moribus suis æquum procul dubio judicavit, jam turpe ac ab honestate remotum clamat? Læsa erat Sa. R. Majestas Sueciæ, cum hostis sui everisionem flagitaret: at ipse nullâ injuriâ affectus erat, cum amicis & innocuis civibus spoliare voluerat. Quanto autem gravius est subtrahere Cives justo Regi, quam iniquum Regem & Tyrannum civibus oppressis? In illo casu injuria & crimen inest, in hoc amicæ mentis studium cognoscitur. Præterea sollicitavit Rex Poloniæ Cives Svecicos, ut à fide, quâ Regi suo obstricti erant, desciscerent, atq; adeo, quantum in illo erat, ad horrendum flagitium eos allicere voluit; at in literis ad Primatem missis Ordines Poloniæ illius tantum officii, quod necessarium, erat, quod justum, nec ullam in se turpitudinem habet, commendentur. Nam Regali solio dudum excidisse Regem illum, ex jurejurando patet, quod hic apponi operæ pretium est: *Et si (quod absit) in aliquibus juramentum violavero, nullam mihi incola Regni omniumq; dominorum uniuscujusq; gentis, obedientiam præstare debeant; imo ipso facto eos ab omni fide, & obedientia Regi debita liberos facio, absolutionemq; nullam ab hoc meo juramento, à quoquam petam, nec ultrò oblatam suscipiam. Sic me DEUS adjuvet, & hæc Sancta Christi Evangelia.* Non igitur iniquum erat, à Polonis id postulare, quod obedientiæ vinculo soluti, facere poterant. Neq; opus erat illum deturbare, qui juxta sententiam, quam ipse sibi dixerat, revera deturbatus est. Restat tantum, ne ipsi sibi desint, sed ultimam manum negotio huic imponant, Nec est, quod inauditum hoc exemplum, esse

esse obtendat. Integras profecto centurias contexere facile esset eorum Regum, qui ob crimina sua fastigiò istò excussi sunt: sed iis recensendis immorari hic non attinet, cum in omnium populorum historiis reperiantur. Saltem ne credat domestica Polonis exempla deesse, Uladislauum & Micislauum, Boleslai III. filios, memoria repetat, qui Hæreditarii Reges, ob longe leuora crimina, quam extraneus jam patrauerat, solio paterno dejecti sunt. Lescum etiam V. & Uladislauum Locticum, aliosq; reminiscatur, qui simile in Polonia fatum experti sunt. Addat deniq; Henrici Valesii casum, qui cum ad capiendum avitum sceptrum, quod post fratris mortem vacuum erat, in Galliam abiisset, nec ad præstitutum tempus reverteretur, quamvis reverti omnino statuisset, publica lege, anno MDLXXV. abdicatus est. Quò magis idem de illo, qui Rempublicam ipsam evertere aggressus est, fieri potest & debet? Præmiis autem ad Patriam suam liberandam allectos esse Polonos, calumnia est: cum, qui eorum est pro libertate animus, credi possint sponte suâ tam præclarum facinus occupaturi.

*Nos equidem Dei omnipotentis auxilio freti, & de Polonorum nostrorum fide erga Reges suos singulari securi, hac & talia tanti non curamus, & si opus fuerit malo isti remedia sufficientia inueniemus.*

Quod si hic de Polonorum fide, quos tot enormibus factis læserat, securus esse possit, fatendum est, confidentis illum animi esse; si iustissimam quoq; ultionem, quam meruerat, evadere calleat, instructum esse plusquam Circæa arte Polonorum animos fascinandis, nemo negabit. Sed credere licet, tam simplices illos & inconsideratos non esse, ut discrimen cervicibus suis imminens non videant. Magna illorum fuerit in Reges Suos indulgentia, sed qui emendari poterant: at cum in neminem hætenus inciderant, qui majori audacia, pluribusq; artibus stipatus, ad Rempublicam pesfundandam accesserat, videant tandem, an mitioribus consiliis locus sit. Ipsa certe Respublica, quæ oppressa est, ad ipsos supplices tendit manus, ne intempèstivâ lenitate salutem suam prodant. Libertas quoque, quam tanto labore, & majorum virtute asertam acceperant, indignos, quos postmodo respiciat, judicabit; & desiderabile nomen invocantes, culpamq; tantam serâ pœnitentiâ deplorantes non audiet. Interea Suecorum armis acceptum referant, quod aliqua ex parte sublevata eorum Respublica sit: quam ut impofterum salvam & incolumem habere possint, auxilium eorum paratum inuenient. Utcunq; res cadat, Sacra Regia Majestas Sueciæ se consolatur, quod boni fidiq; Vicini officium præstiterit: nec ab eo discedet, nisi Respublica Polona, hostem communem protegendo, invitam in alia consilia impulerit, quæ malo huic, non minus quam Rex Poloniæ jactat, sufficientia inuenientur.

*Cum tamen insidiosi hi conatus, Cum vero nullos unquam insidiorum omni societate humana & com- |* sos conatus Sacra Regia Majestas Sueciæ



*muni gentium jure è diametro pugnent; ita prudentissimo aliorum Principum judicio illos subjiciendo, spem fovemus certissimam, fore, ut graves hæcæ combinationes tanquam communem causam, & pullulantes exinde cuilibet regimini summè noxivas consequentias, facile consideraturi sint.*

liorum Principum appellantem eò lubentius sequitur, quo magis confidit, eos, si justi sint & æqui, non posse non detestari inauditam perfidiam, quâ in se innocuam usus est Rex Poloniæ: nec inficiaturos esse, tranquillitati generis humani maximè consultum fore, si singulare in illum exemplum statuatur, qui istud vinculum, quò omnis societas & salus mortalium continetur, tam protervè abruptit. Sic enim alii, quos mala mens & improba libido vexat, hoc exemplo territi, discunt fidem & pacta servare, atq; à pacificis populis impia abstinere arma. Certe nihil periculi bonis populorum rectoribus inde pervenisse, in hunc usq; diem compertum est, quod pravi & perversi Principes à gubernaculis civitatum remoti sint: sed potius stabilitam fuisse publicam tranquillitatem, & crevisse mutuum illum inter Principes civeseq; amorem, cum illi cogitaverint, se hominibus hominum causa imperare. Contra à fidei pactorumq; contemtoribus, à turbulentis & impiis rectoribus maximas calamitates Orbi inflictas esse, omnis ætas testatur. Ex horum numero cum jam evictus sit, esse Regem Poloniæ; facile prospicient Christiani Principes, si turbator ille removeatur, quanta securitas septentrionali cælo redierit quanta populorum quies, & nova quædam lux regionibus istis repente affulserit.

*Cum non sit dubitandum, in quolibet regno inveniri refractarios & perfidos subditos, qui ejusmodi criminum protectorem amplectendo, omne genus malitiæ explere non intentatum relinquent.*

alios seducunt, privatamq; commodum publicæ utilitati præferunt. Istorum pietas, & prudentia, ut sua laude defraudari nequeat; atramen cum illis nihil privatim egerat S. R. Majestas Sueciæ, sed univærse Reipublicæ suam operam palam offerre voluit, non alia ratione ad id adducta, quam ut de Rege eligendo, liberius consulere possent, qui pacta & fidem observando, utriusq; gentis amicitiam perpetuaret. Nullum emolumentum sibi perit: tantum rogat, ut inclyta Respublica sibi ipsi prospiciat, nec suâ ruinâ vicinos involvat. Perfidos autem & rebelles, quos in illa esse R. x. Poloniæ credit, protegere nunquam in animum induxit. Hoc proprium esse istius Regis, rectius affirmatur, qui proditores & infames, carnificisq; manibus elapsos, non tantum patrocínio suo, sed etiam inimiciori consilio dignatus est

*Et cum certò confidimus, Celsitudines Vestras præorimis hæcæ Regis Sueciæ intentionem de testatur, & ut quies hæcæ regionibus reddatur, nec incendium illud, quod jam proprias Celsitudinum Vestrum invasit oras, latissimas undiq; flammæ, deinceps non nisi maximo cum periculo*

ciæ fuerit, sed hostem acerbissimum, qui infidiis & nefandis dolis ad perniciem suam grasatur, aperte oderit; nihil à se commissum putat, quod jure gentium non sit licitum, & illi societati, quam naturalis ratio hominibus colendam imperat, non conveniat. Proinde ad iudicium a-

liorum Principum appellantem eò lubentius sequitur, quo magis confidit, eos, si justi sint & æqui, non posse non detestari inauditam perfidiam, quâ in se innocuam usus est Rex Poloniæ: nec inficiaturos esse, tranquillitati generis humani maximè consultum fore, si singulare in illum exemplum statuatur, qui istud vinculum, quò omnis societas & salus mortalium continetur, tam protervè abruptit. Sic enim alii, quos mala mens & improba libido vexat, hoc exemplo territi, discunt fidem & pacta servare, atq; à pacificis populis impia abstinere arma. Certe nihil periculi bonis populorum rectoribus inde pervenisse, in hunc usq; diem compertum est, quod pravi & perversi Principes à gubernaculis civitatum remoti sint: sed potius stabilitam fuisse publicam tranquillitatem, & crevisse mutuum illum inter Principes civeseq; amorem, cum illi cogitaverint, se hominibus hominum causa imperare. Contra à fidei pactorumq; contemtoribus, à turbulentis & impiis rectoribus maximas calamitates Orbi inflictas esse, omnis ætas testatur. Ex horum numero cum jam evictus sit, esse Regem Poloniæ; facile prospicient Christiani Principes, si turbator ille removeatur, quanta securitas septentrionali cælo redierit quanta populorum quies, & nova quædam lux regionibus istis repente affulserit.

*Nec dubitandum est, quin optimus quisq; Polonorum & Reipublicæ amantissimus, hoc omnibus votis studiisq; optaverit, quos etiam credibile esse de liberanda Patria cogitasse, si per factiones eorum licuisset, qui a Rege corrupti,*

alios seducunt, privatamq; commodum publicæ utilitati præferunt. Istorum pietas, & prudentia, ut sua laude defraudari nequeat; atramen cum illis nihil privatim egerat S. R. Majestas Sueciæ, sed univærse Reipublicæ suam operam palam offerre voluit, non alia ratione ad id adducta, quam ut de Rege eligendo, liberius consulere possent, qui pacta & fidem observando, utriusq; gentis amicitiam perpetuaret. Nullum emolumentum sibi perit: tantum rogat, ut inclyta Respublica sibi ipsi prospiciat, nec suâ ruinâ vicinos involvat. Perfidos autem & rebelles, quos in illa esse R. x. Poloniæ credit, protegere nunquam in animum induxit. Hoc proprium esse istius Regis, rectius affirmatur, qui proditores & infames, carnificisq; manibus elapsos, non tantum patrocínio suo, sed etiam inimiciori consilio dignatus est

*Longe igitur opinione fallitur Rex Poloniæ, si prudentissimis viris, qui Belgium fœderatum gubernant, verba te daturum sperat. An nescit cum illos, tum reliquos toto Orbe populos, ad eò detestari ejus actiones, ad eò etiam de summa Sæ. R. x. Majestatis Sueciæ justitia esse per-*

existendae concipiat, allaboraturas, insimulq; ex indigna & inconvenienti exceptione ablegati Celsura. Vest. Silipendium, ingratumq; Regis Sveciae animum pro praestitis haecenus officiis satis per se habuit, indeque facile iudicaturus esse, quid de vasto illius destinato, & tumida spe, nisi in ipso ortu suffocetur, in posterum expectandum sit.

fugientium Latronum tergis vacarit, satis superq; sibi persuadent. Nec dubitant, si quid officii praestitum sit, quin grati animi sensum, & sua vicissim studia, cum res & occasio tulerit, abunde declaratura sit. Interea nunquam æquum censebunt, cursum fortissimi Regis, tantis successibus ad iustissimam vindictam tendentis sufflaminare: cum in illo nihil vanum, nihil timidum experiantur, sed stupendis inulstatisq; victoriis moderatus, quam ab illa ætate sperare potuisset, illum uti; Deoq; ruptorum foederum ultori, humiles propterea gratias agere, eiq; tribuere, quicquid haecenus à se prospere gestum sit. Unde praestigium latissimum capiunt, illum esse providentia caelesti destinatum, qui ejusmodi monstra, quæ Orbis quietem impiis destinatis sollicitare audeant, cum æterna nominis sui gloria domiturus sit.

Tum Celsitudines Vestras pro ea, quæ haecenus isdem Nobiscum intercessit, amicitia, enixe requirimus, ut suis hac parte consiliis & benevola, si opus fuerit, assistentia, Nobis baud deesse velint.

ut haberi possit, neq; laboranti Regi auxilium, de quo pactis convenerat, subtraheret: nec iniquissimo aggressori contra foederatum Regem ullam opem ferre poterit.

Ne alias ad ejusmodi media, quibus tamen haecenus abstinuimus, contra Regem Sveciae ejusq; personam procedere cogamur, quæ quævis occasio Nobis subministrabit, quæq; ad securitatem personæ & regni nostri ab omni vi injusta conservandam, idonea & justa iudicabimus. Quibus Celsitudines Vestras divinae protectioni commendamus & prospera quævis apprecamur. Dab. in arce nostra Varsoviensi d. 9 Sept. Ao. 1701.

ustum, quod omnia flagitia abominatur & punit, quid sibi polliceri debeat Rex Pol. seriè potens est, quod perpendat. Interea ex iis, quæ ad hanc epistolam monere visum est, omnes liquidò cognoscent, non aliud egisse Sam. Ram. Majestatem Sveciæ, quam quod ad securitatem suam maxime necessarium, & jure omnium gentium licitum esset; contra verò Regem Poloniæ id unice machinari, ut quem factis atrocissimis antea læserat, nunc quoq; calumniis suis atq; conviciis apud alios Principes populosq; in odium adducat. Sed isto molimine non aliud assequetur, quam ut vanitas ejus atq; malevolentia, quæ haecenus satis erat cognita, eò lucidius jam pateat, & honorificentissimum illud iudicium, quod optimus quisq; mortalium de iustissimis Sæ. Ræ. Majestatis Sveciæ armis conceperat, eò magis confirmetur atq; stabiliat. Debebat hoc saltem Regem illum suæ iniquitatis convincere, quod præter factionis suæ consortes, nemo inveniatur, qui actiones ejus non vituperet; nemo quoq; sit, qui summam Sæ. Ræ. Majestatis Sveciæ innocentiam non agnoscat, & virtutes invidiosis laudibus celebret & extollat. Maledictis autem, quæ in Suecos effundit, eos invitabit ad illa quoq; detegenda, quæ alioquin propalare in animum non induxerunt. Quapropter illa, quæ hic dicta sunt, excusare, supervacaneum ducunt; cum probè sciant, à nemine sinistrè acceptum iri, nisi qui veritati ac iustitiæ apertè se hostem proferat velit. Equidem reverentiam adversus illos, qui summum in terris fastigium tenent, adhibendam esse, nemo dissidebitur. Sed utinam tales illi semper essent, ut venerationem, quæ isti apici deheuer, ipsi factis indecoris ex animis aliorum non excuserint. De illis semper honestè loqui & sentire oportet, ut tamen veritas non lædatur: quæ in re atroci, etiam cum mitissimis verbis profertur, acerba est.

suasos, ut non possint non meliori causa, & manifesta Dei ope approbata, accedere? Quid rebus suis convenire existimaverint, maturè provident, quamvis à Rege Polonia non moneantur. Non autem intelligunt barbarum illud vilipendium, quod toties crepat, Ablegato eorum contigisse quem honorificè à Sæ. Ra. Majestate Sveciæ admisum iri, quam primum à persequendis

Quamvis autem dubium non sit, quin inclinata Baravorum Republica reducenda in Septentrionem Paci, sedulam navatura sit operam: tamen pro æquitate suæ & prudentia non aliam capiet, quam quæ securæ videatur & honesta. Quæ

Definat autem Rex Poloniæ illum verborum minis territare, cujus invidium animum tot conspirantium armis non potuisse frangi viderat. Satis virium & consilii esse experietur, ad nefarios ejus conatus retundendos, sicamq; illam, quam minatur, retorquendam. A moribus autem suis nihil alienum faciet, si nullum nefas, sicut haecenus. intentatum relinquat: at cum sit Numen, quod Christiani colimus, quod potens est, quod

ne

ma-  
re-  
ovi-  
tur,  
en-  
on-  
ue-  
ndis  
ra-  
ara-  
isfi-  
fed  
ru-  
oro-  
um,  
inis

in-  
Se-  
um:  
m-  
Duz  
isfi-

um  
on-  
rate  
efa-  
am,  
tem  
ha-  
ten,  
uod  
one  
nom  
, &  
ctis  
osq;  
en-  
um,  
na-  
uod  
fit,  
bus  
en-  
cu-  
i ac  
ter-  
ut  
De  
am


ULB Halle

3

005 461 537







*nr. 4579.*

Vd  
1151

In  
Epistolam Regis Poloniae,  
Quam  
Ad Celsos & Præpotentes Belgii  
Foederati Ordines,  
De  
**BELLO LIVONICO**  
Anno MDCCI, die IX, Septembr.  
scripsit,  
**ANIMADVERSIONES  
SUBITANÆ.**

BIBLIOTHECA  
POMICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

